



I, 6.



I, 6.

9.²
10

Q. F. F. S.
EX HISTORIA MEDII ÆVI
DE
**BVRGGRAVIIS
ALTENBVRGENSIBVS**
ITERVM
DISSERIT,
SIMVLQVE
FAVTORES AC PATRONOS
AD AVDIENDAS
D. V. FEBRVAR. clo lccc xxxix.
ORATIONES VI.
HONORIFICE INVITAT
CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS,
RECTOR.



DRESDÆ,
EX OFFICINA HARPETERIANA.

10.



EX HISTORIA REIPUBLICAE
BURGGRAPHII
ALTBURGENSIS
PRAEFATIO
CAUSAS AC PATRONOS
ORATIONES VI
CHRISTIANVS SCHOENBERGER
RECTOR
M. D. C. L. X. V. 1615





NOTITIAE BVRGGRAVIORVM AL- TENBURGENSIUM CONTI- NVATIO.

§. 19.

Addenda superioribus.



Abui quædam in schedis meis, quæ nescio quæ incuria a me omiſſa fuerunt. Ea jam adhuc inferenda ſunt.

ad §. 4. Henricus de Wydach & frater ſuus Albertus Burgravius de Aldenburg a. 1213. teſtes citantur in literis Friderici Imp. Hoſpitali Altenburgenſi datis.

ad §. 13. Ludovicus Imp. a. 1324. munus Burggraviæ cum tur-
re, quæ a pallio nomen habet, (*Mantel-Thurm*) beneficii loco con-
ceſſit, ſed cui illud factum ſit, Excerpta ejus diplomatis non docent.
(n) Auguror tamen ex nexu totius Hiſtoriæ, Landgraviis Thuringiæ
illud contigiſſe.

ad §. 16. Anno, quo mortuus eſt hic Theodericus, diploma edi-
dit, in quo proſitetur, litem inter civitates Elbingam & Gedanum de
pecunia, quæ *Pſalgeld* vulgo dicitur, fuiſſe ſopitam. (o)

ad §. 17. A. 1329. Ludovicum Bavarum, Imp. genero ſuo Fride-
rico Gravi Burggraviatum beneficii loco dediſſe narrat Liebius, *ὁ μα-
κροτέρως*, (p) ad diploma ejus provocans, quod in libro Sagittarii MS.
de ſummo Magiſtratu urbis Altenburgenſis legerat. Utinam illud edi-
diſſet: nam res magnam habet difficultatem, Auguror illud diploma
eſſe, cuius infra §. 23. mentionem injicio.

C 2

SE-

(n) Hornius in Vita Friderici Bellicofi p. 281.

(o) Dipl. apud Schütziſium hiſt. Boruff. II. p. 92. b. & Jo. du Mont Corps
diplom. tom. I. part. 2. p. 202.

(p) in der Nachricht zu Henrici Illuſtris Hiſtorie, p. 39.



SECTIO II.

Notitia pragmatica Burggraviorum Altenburgensium,

§. 20.

Multos credo fuisse, qui Notitiam historicam Burggraviorum nostrorum sectione superiore prolatam, exilem nimis & macram iudicabunt. Sed tales fere sunt, qui in arte historica parum sunt versati. Ut igitur illis ostendam, quomodo in talibus versari soleam, utque simul juvenus harum rerum cupida discat, quam multa ex narrationibus historicorum & verbis diplomatum exculpi queant, quæ vulgo negliguntur, specimen conatum meorum historicorum dare jam quidem constitui.

§. 21.

Ex quanam familia oriundi fuerint illi
Burggravii.

Origines dynastarum, quorum plures mediis temporibus terræ Saxonicae habuerunt, inventu sunt admodum difficiles, idque ideo, quia laudatores virtutum & beneficiorum suorum nullos invenerunt. Monasteria equidem largiter ab iisdem dotata fuerunt, sed ventres pigri memoriam evergetarum suorum parum nobis conservarunt. Burggravii nostri Altenburgenses eadem obscuritate laborant. Adest eundem a. 1213. *Henricus de Wydach*, frater Alberti Burggravii, §. 19. sed unde nomen, id in obscuro adhuc versatur. Patruus Alberti II. §. 6. *Conradus de Froburg* & *Henricus de Flugellesberc* vocantur, unde simul constabit, Henricum illum de Wydach & de Flugellesberch unum eundemque hominem fuisse. Constabit quoque exinde, fratres & agnatos Burggraviorum nostrorum illo tempore nondum fixum aliquod familiae cognomen habuisse, sed prout sedem in prædiis suis mutaverant, cognomen quoque simul immutavisse. *Froburgum* oppidum ad Wiram fluvium hodieque superest, & olim dynastas suos habuit, quorum unus sec. XIV. Marchalci dignitatem apud Marchiones Misnenses obtinuit; certe illo titulo usus est, dum se a. 1335. *Henricum*

Mar-

Marschalcum de Froburg subscripsit. (a) A. 1368. Henricus & Witze (legendum *Vitze*, quod tunc denotabat *Vlricum*) Marschalci de Froburg, Francisco Schvvenckenstein & Petro Arnoldo villam inferiorum Franckenhain vendiderunt. (b) Castrum illud his temporibus non omnino nullius momenti fuisse, vel inde constat, quod a. 1229. Henricus de Gnannenstein & frater ejus Conradus *Castrenses in Vroburg* fuerunt, (c) hoc est, ejusmodi nobiles, quibus custodia castri fuit concedita, quique propter hoc officii genus feudum castrense meruerunt. Loquor autem hæc ex consuetudine terrarum nostrarum & illorum temporum. Notum enim alias est, multam esse de feudis castrensis disputationem, quæ dirimi non poterit, nisi tempora & locos bene distingvas. Fuerunt etiam alii Domini & Comites de Froburg in Svevia, qui in literis Imperatorum Svevicorum sæpius occurrunt, sed cum nostris minime sunt confundendi.

Flügelsbergæ ubi sita olim fuerit, fateor me ignorare. Habemus autem a. 1250. Albertum de Flögelsberg testem in diplomate Grünhainensi, (d) Henricum item, qui a. 1308. monasterio Altenburgensi bona quædam in *Münſau* contulit. (e) Alius quidam Albertus in fraternitate monasterii Chemnicensis fuit. (f)

Theodericus II. cognomen *Schuliz* & *Szuliz* habuit, quod §. 10. adfuit. Credo idem obtinuisse a prædio *Scholiz*, quod præfecturæ Altenburgensi subjectum, & non procul ab urbe laudata situm esse ajunt. (g) Sed ego illam in Tabula Geographica Ducatus Altenburgensis a Petro Schenckio edita invenire non potui.

C 3

Ex

- (a) Dipl. in der Ober-Sachsischen Nachlese, II. p. 295.
 (b) Anon. *Historische Nachricht von Chemnitz* p. 17.
 (c) Dipl. apud Schwvartzium Mantissa. p. 1072.
 (d) Exc. dipl. apud Hornium in der *Hand-Bibliothec* p. 309. ubi tamen vitio descriptoris perperam legitur *Wülckelsberg*: aliud enim exemplar, quod oculis usurpavi, expresse legit *Flögelsberg*.
 (e) Exc. dipl. apud Kœnigium in der *Adels-Historie* II. p. 341.
 (f) *Necrologium Chemnicense* tom. II. Mencken. p. 158.
 (g) *Goldſchadt Nachrichten von Marckſtecken* &c. p. 467.

Ex his autem, quæ protulimus, nihil certi exsculpere licuit, ex qvanam familia hi Burggravii originem duxerint. Cognatio vero eorundem cum Dominis de Froburg & Flugelsberg satis clare ostensa est. Sequitur schema Genealogicum.

Henricus I. 1172. §. 2.

Henricus de Wydach & Froburg 1213 §. 19. 21.	Albertus I. 1212. 28. §. 4.	Henricus de Flugels- berg. §. 6.
---	--------------------------------	-------------------------------------

Albertus II. 1236--69. §. 6.

Albertus III. 1275--91.
§. 9.

Theodericus II. 1282--1301.
§. 10.

Linea Cimmenbergensis.

Henricus IV. a. Theodericus III,
1280--91. §. 11. 1292. §. 12.

Linea Rochsburgensis.

Albertus IV. Theodericus IV.
1303--25. §. 13. 1283. §. 14.

Filius Anonymus.
Schvartz. p. 1080.

Elisabetha conj.
Otonis Bgr. Leifn.
§. 15.

§. 22.

Vrbes, castra, & prædia Burggraviorum Alten- burgensium.

Circumspiciamus nunc, quanam loca hi Burggravii possederint, quæ quidem ordine alphabetico, adjecta brevi eorum notitia, enumerabimus.

1. *Altenburgum*, ibi arcem possederunt, primo quidem beneficio Imperatorum, ut postea audiemus, deinde Marchionum Misnia & Landgraviorum Thuringia, §. 17. In moneta quoque ibidem suos reditus habuisse §. 10. docet.

2. *Arnoldisdorf*, ibi Conradus de Weisbach a Burggravio quædam bona nexu clientelari possedit, quæ a. 1296. ad monasterium Francohusanum non procul a Crimmitzschavia situm pervenerunt. §. 10. Hodie vocant *Arnsdorf*, & in superiorem & inferiorem dividunt.

3. *Bæt-*

3. *Bætschorve*, prædium prope villam *Mohnstab*, quod Burggraviæ cœnobio in Ober-Wymar donaverant. §. 17.

4. *Budorvil*, ibi habuerunt quosdam census frumentorum ad Præfecturam arcis Altenburgensis, quæ a. 1304. monasterio Pösaugiensi concesserunt. §. 13. Duplex est hodie villa huius nominis *Pudebils*, altera prope Meuselwiczium arcem Seckendorffiorum, altera non procul a Ciza in districtu Drocshienfi. Vera harum intelligatur, non possumus pronunciare.

5. *Cinnenberch*, unde nomen lineæ Cinnenbergenfi Burggraviorum nostrorum, cuius situs mihi adhuc est incognitus.

6. *Glumin*, ibi habuerunt quatuor mansos feudales a. 1283. §. 11.

7. *Gnasvitz*, jam sec. XIII. fuit in potestate Burggraviorum. §. 4.

6. Hodie dicitur *Gnatshitz*, haud procul ab urbe Smolna septentrionem versus sita.

8. *Grysendorf*, totam villam Reinhardus Pugil, civis Dresdensis, a Burggravio beneficii loco tenuit a. 1284. §. 10. Villa hujus nominis adest, haud procul ab urbe Hænicha.

9. *Liddelovv inferior*, bis occurrit a. 1291. §. 10. & 1292. §. 11. Hodie *Vnter-Ledel* non procul Altenburgo. Fortasse eadem est *Lodla* a. 1288. §. 11. quia etiam scribunt *Vnter-Ladla*.

10. *Majus Luben*, hodie *Ober-Leupen*, prope Altenburgam versus meridiem, a. 1303. §. 13.

11. *Lopschitz*, civitas a. 1229. §. 4. & a. 1269. §. 6. Forte est *Lobschvitz* vicus & arx Einfideliorum in districtu Bornensfi.

12. *Lubevvitz*, bis occurrit §. 4. 6. sed situm hodiernum determinare nequeo.

13. *Pordice*, ibi a. 1301. tantum unum hortum habuisse leguntur. §. 10.

14. *Rochsberg*, castrum, a quo linea altera Burggraviorum Altenburgensium nomen sortita est, postea ad Burggravios Leisnicenses transit, §. 10. 15. Hodie est Comitum Schœnburgicorum, ad Muldam situm.

15. *Rotin*, hodie *Ratze*, in districtu Altenburgensi, §. 9. 10.

16. *St-*

16. *Seluvvitz*, a. 1291. & 1292. §. 10. II. Fortasse est Schlepitz.
 17. Arcem *Smolnensem* quondam Burggraviorum Altenburgensium fuisse, testatur Jo. Lindnerus, monachus Pirnensis. (h)
 18. *Stenevitzze*, hodie *Steinitz*, proxime ad Altenburgum a. 1229. §. 4.
 Hæc sunt nomina prædiorum & locorum, quæ Burggraviis nostris subsuerunt, quantum scilicet notitiæ documenta in publicum edita subministrant. Plura fortasse omissa sunt, ab illis supplenda, quibus datum est inedita in sacris archivis monumenta pervolvere.

§. 23.

Domini Burggraviorum Altenb.

Quum igitur Burggraviis varia possederint, idque non jure proprio, dispiciendum nunc est, quorum beneficio, vel in quorum clientela constituti ad illa potuerint pervenire.

1. Primum hic locum tenet *Imperator Romanus*. Nam ab hoc constituti sunt Præfecti arcis Altenburgensis, ut illud ab insultu gentium vicinarum defenderent. Ab hoc quoque prædia sua nexu clientelari obtinuerunt, unde vitæ necessaria caperent. Inde si quid in aliorum usus erogare potuerunt, illud in manus Imperatoris resignare debebant, §. 2. 10. quo loco posteriore geminum hujus rei exemplum habes. Inde Albertus I. a. 1212. sponsor fuit pro Imperatore, §. 4. & quia pecunias in obsequio Imperatoris expendit, urbe aliqua donatus est: *ibid.* Nemo autem miretur, quod Imperatori Romano *Dominium*, ut hodie dicimus, *directum* terræ Altenburgensis adscribimus. Notum enim est, Henricum Aucupem universam Soraborum regionem inter Albim & Salam bello acquisivisse. Postquam vero successu temporis Marchiones Misnenses terras suas acquisiverunt, Altenburgum, Cygnea & Chemnitium civitates imperiales fuerunt, donec ab ipso Imperatore ad Marchiones laudatos pervenerunt.

2. Sequuntur *Marchiones Misnenses*, quibus Burggraviis nostri jure clientari subsuerunt, idque duplici ratione. Primis temporibus ratione quorundam prædiorum ad Burggraviatum minime spectantium. Inde præsentibus adfuerunt una cum aliis ordinibus in placito provinciali

(hodie

(h) Ober-Sächsishe Nachlese II. p. 163. 164.

(hodie *comitia provincialia* vocamus) Colonicensi a. 1250. §. 3. & De-
licensi a. 1222. §. 4.

Postea vero alio quoque titulo Marchionibus Misnensibus subiecti fuerunt, posteaquam scilicet Imperator illis dominium terræ Plisnensis concessit. Quæ res cum vulgo nondum satis nota sit, prout omnis historia terræ Plisnensis modo dictæ in obscuro adhuc latet, liceat eam hac occasione simul explicare. Nimirum circa a. 1254. Albertus, Henrici Illustris filius, Margaretam, Friderici II. Imp. filiam duxit, qui ipsi dotis loco decies mille marcas argenti promisit, & vsque ad solutionem illius summæ terram Plisnensem pignori concessit. Quam ob rem Henricus Marchio Misniæ, non solum titulo *Domini terre Plisnensis* usus esse, sed & ipsum ejus regimen subiisse deprehenditur. (i) Titulo autem illo, ut & hoc addam, semel tantum atque iterum usus est, & quia fortasse Imperatori id minime acceptum esse animadvertit, literis sequentibus eodem abstinuit. Albertus modo dictus, quem vulgo *Degenerem* vocant, circa a. 1290. omnes terras suas, & inter has Plisnensem quoque, Adolpho Nassovio Imperatori vendidit, idque in fraudem filiorum, quibus admodum erat iniquus. Imperator terras occupavit, & jurisdictionem earundem per Judices provinciales a se constitutos observari jussit. (k) Rupertus, filius Imperatoris modo dicti, quum filiam Wenceslai, Bohemiæ Regis in matrimonium duxisset, & focer ipsi decem marcarum millia dotis nomine promissa, ante tempus solvisset, Imperator ipsis totam terram Plisnensem, nominatim Altenburgum, Chemnicium & Zwickaviam, cum omnibus vasallis, hominibus &c. hypothecavit & inpignoravit, ut verba diplomatis habent, usque ad tempus nuptiarum celebratarum. Literæ datæ sunt V. Idus Maji a. 1292. (l) Testatur vero historia patria, filios Alberti

D

Dege-

(i) Dipl. apud Hornium in Henrico Illustri p. 306. *Cum per gloriosum Imp. Fridericum - - adepti simus dominium Plisnensis terræ, ipsam terram gubernare, & quoslibet in ea degentes, secundum quod nobis injunctum est, etiam suo jure volumus conservare.*

(k) Dipl. apud Schwartzium Mantissa p. 1039. 1080.

(l) Dipl. apud Ludewig. Reliqv. V. p. 435. „Lünigium Codice Germaniæ diplom. I. p. 971.

Degeneris jura sua in terram Plifnensem fortiter defendisse, sic, ut neque Imperator, neque Rex Bohemiæ possessor aut dominus illius factus sit. Post mortem Adolphi Imperatoris, Albertus successor illius a Wenceslao Bohemiæ Rege quinquaginta millia marcarum mutua sumebat, eique pignoris loco una cum aliis terram quoque Plifnensem obligavit. (m) Illustris Vir, Jo. Petrus Ludovicus, sed qui Serenissimæ domui Saxonice fere semper iniquus est, in annotatione diplomati huic subjecta statuit, terram Plifnensem illo tempore nulli alii Principi, sed tantum Imperatori Romano, subjectam fuisse. Verum hoc est contra filum totius historię. Imperator contra omne jus terram Plifnensem sibi afferere cupiebat. Filii Alberti Degeneris non contradicebant solum, sed etiam jus suum armis vindicabant, unde copiæ Imperatoris semel atque iterum profligata. Atqui vero omnia jura naturalia pariter & civilia neminem possessione rerum suarum excludunt, qui possessori injusto & verbis & re ipsa contradicit. Quidam ex nobilibus Misnensibus illo tempore Wenceslaum Bohemiæ Regem agnoscebant, qui etiam a. 1298. omne ipsis præsidium promittit, & titulo *Sacri Romani Imperii per terras Misnensem, Orientalem & Plifnensem Vicarii generalis* utitur. (n) Sed mora hæc erat usurpatio, non autem legitima possessio. Post diuturna vero dissidia anno 1308. quum inter regnum esset, tres illæ civitates Altenburgum, Chemnitium & Cygnea se tutelæ ac defensionis Friderici Admorsii commiserunt, ea tamen addita conditione, ut electo novo Imperatori rursus subicerentur. (o) Agnoscerunt illæ civitates legitimum dominum, eique se libenter subjecerunt, quum tamen controversia nondum prorsus sedata esset, fecerunt, quantum potuerunt. Cum Cæsare recens creato statim convenit Friderico Admorsio, itaque a. 1310. Thuringiam & Misniam ipsi per quosdam delegatos tradi jubebat, (p) quæ tamen jure hæreditario ad ipsum spectabat. Anno sequenti terra Plifnensis eidem ad decennium resti-
tura

(m) Dipl. apud Eosdem p. 442. & 975.

(n) Dipl. apud Gribnerum Progr. de titulo Vicarii generalis per terras Misnensem, Orient. & Plifnensem, Wenceslao tributo p. 7.

(o) (p) Dipl. apud Tentzelium Vita Friderici Admorsii p. 954. 956.

ruta est, sic, ut in reuisione ipsi duo millia marcarum solvenda essent. (q) Plura igitur jam concessa sunt, quam antea. Et quamvis Fridericus restitutionem simplicem urgere potuisset, annis tamen & diuturnitate belli gravatus maluit aliquid, quam nihil, recipere. Imo jam a. 1307. titulo *Domini terræ Plisnensis* usus est. (r) Constat autem ex his, Henricum Lucelburgicum Imp. nostro satis æquum fuisse. Successor ejus, Ludovicus Bavarus, alia omnia sentiebat. Nam a. 1316. Advocatos Plavienses & Geranos Judices terræ Plisnensis constituit, (s) quæ res docet, ipsum vestigia non proximi decessoris, sed superiorum, legisse. Tandem vero a. 1324. Ludovicus Imperator titulo maxime oneroso terram Plisnensem Friderico ejusque posteritati restituit, pro tredecim scilicet millibus marcarum argenti, quæ ille maximam partem in usum Imperatoris & Imperii impenderat: (t) id quod ipsum in alio diplomate a. 1329. repetitur. (tt) Quum vero de nulla unquam reuisione cogitatum fuerit, terræ Plisnenses Marchionibus Misnensibus & postea domui Saxonica sine cujusquam contradictione perpetuæ manserunt.

Hoc igitur nomine Marchiones Misnenses Domini terræ Pilsnensis facti sunt, sic ut a. 1275. & sequentibus Albertus Degener, Albertum Burggravium Judicem illius terræ constituerit, §. 9. Et a. 1283. quatuor mansi in villa Glumin Theoderico Juniori, vulgo *Ticemannum* vocamus, a Burggravio resignandi sive refutandi fuerunt, §. 11. Ipse denique Theodericus VI. a. 1392. profiteretur, se arcem & omnia reliqua beneficij loco a Landgraviis tenere, §. 17.

§. 24.

Vasalli Burggraviorum Altenburgensium.

Vt Burggravii munere suo recte fungi possent, neque aliis negotiis vacare cogerentur, Imperatores ipsis quædam prædia & redditus concesserunt, unde pro gradus & dignitatis suæ conditione viverent.

D 2

Eo.

- (q) l. c. p. 960. (r) Dipl. apud Eund. p. 961. & Mœrbithim Chron. Dœbel. p. 157.
 (s) Dipl. apud Becklerum in Stemmate Ruthenico p. 265.
 (t) (tt) Diplom. apud Tentzelium p. 986. 988.

Eorum quædam rursus aliis in beneficium, sive ut hodie loquuntur, feudum dederunt, qui ipsis non solum nexu subjectionis essent conjuncti, verum etiam quosdam census tum in pecunia, tum frumento persolverent. Ex his igitur vasallis sequentes nobis occurrerunt.

1. Hermannus de *Cygelheim*, habuit hortum in Pordize, a. 1301, §. 10.

2. Ludovicus & Conradus *Hircus*, possederunt mansum cum dimidio in Rotyn, ibid.

3. Andreas miles de *Lisavia*, habuit quinque mansos in Stene-wize, §. 4.

4. Theodericus de *Liznik*, habuit a. 1283. quatuor mansos in Glumin, §. II. a. 1290. septem mansos in inferiori Lyddelow & Selu-wize. §. 10. Illi Domini de Liznik longe diversi sunt a Burggraviis Leif-nicensibus, quod Cel. Schwartzius, subsidiis quippe necessariis destitutus, extricare non potuit, ego vero cum bona ipsius venia alio tempore discrimen eorum ostendam.

5. Reinhardus *Pugil*, civis Dresdensis, villam Gryfendorf a. 1284, §. 10.

6. Sifridus de *Steinbach*, incoluit unum feudum majori Luben adjacens, a. 1303 §. 13.

7. Hermannus de *Stupitz*, habuit piscationem in Thepil, a. 1305, §. 13.

8. Conradus de *Weisbach*, tres marcas argenti in Arnoldisdorf, a. 1296. §. 10.

9. Tandem huc quoque pertinent Castrenses, germanice *Burg-manne*, hoc est, viri nobiles defensionem castri curæ habentes, ibique stipendia sua merentes. Hi erant militum gregariorum præfecti, & pro opera sua pecuniam & frumentum nanciscebantur, quod *feudum castrense* vulgo vocant. Tales Altenburgi a. 1315. fuerunt Ludovicus Stango, Henricus de Knevve, Henricus de Studenchen: (u) a. 1389. sub Thuringiæ Landgraviis, Albertus de Brandenstein, Henricus de Wirzeburg, Henricus de Kossbude, Siverd Stange, Hencze Stan-

(u) Dipl. in *Liebens Nachlese zu Henrici Illustris Historie*. p. 38.

Stange, Albertus de Gabelencz. (x) His debebatur frumentum, five annona, quæ tunc vulgo *Burghorn*, §. 13. item *Census secundarius five castrensis*, qui in pecunia solvebatur, §. 10.

§. 25.

Insignia.

Burggravii Altenburgenses insignium loco habuerunt rosam, colore proprio & nativo in spatio albo. Sic exhibent sigilla vetera, (y) quibus alia galeam imponunt cum affixis bacillis novem, in quorum summitate plumæ pavonum conspiciuntur. (z) Vidi quoque sigillum, quod solam galeam cum bacillis ostendit.

Illud sigillum postea Marchiones Misnenses suis insigniis inseruerunt, quisnam vero primus eodem usus sit non constat. Albinus (a) Albertum Degenerem profert, sed dubia, ut plerumque solet, fide. In tribus enim sigillis, quorum figuras Gudenus & Hahnus exculptras exhibent, rosam Altenburgensem minime conspiciunt. (b) Neque ququam posteriorum ejus rosam Altenburgensi sigillum suum exornavit ante tempora Ernesti, Ducis & Electoris Saxonie. Nam in illius monumento apud Reyherum, quantum quidem mihi constat, emblemata hæc Altenburgensia primum conspiciuntur. Fortasse & in sigillis ipsius exstant, sed nullum illius mihi huc usque æri incisum occurrit, quum reliquorum illius majorum fere omnia publice excusa prostant. Post illa vero tempora Serenissimi Saxonie Duces illam rosam in sigillis, numis & epitaphiis constanter retinuerunt, quamvis titulo Burggraviorum Altenburgensium nunquam usi fuerint, Domini vero terræ Plisnensis titulum dudum omiserint.

Dixi Duces Saxonie titulo Burggraviorum Altenburgensium nunquam usos esse, quod inductio omnium documentorum huc usque

D 3

typis

- (x) Dipl. apud Hornium in Friderico Bellicoso p. 680.
 (y) Schwartzeus Mantissa p. 1039.
 (z) Hoenn *Sächsische Wapen- und Geschlechts-Untersuchung* p. 61.
 (a) Albin *Sächsisches Stamm-Buch* p. 228.
 (b) Gudeni *Sylloge diplom.* I. p. 319. [Hahnii Collect.] I. p. 99. 101.

typis impressorum inde ab acquisitione Burggraviatus ad nostra usque tempora docet. Miror ergo, qui factum sit, ut in foedere inter Carolum VII. Galliae Regem ac Fridericum II. Electorem, & Wilhelmum, fratres, Duces Saxoniae a. 1441. inito ipsis post reliquos titulos consuetos, etiam titulus *Burggravorum Aldenburgerisum* tributus sit. (c) Nam illo tempore circa Burggraviatum Altenburgensem nihil vel gestum vel immutatum fuit. Quod si quis Magdeburgensem forte innui dicat, huic illud repono, Electores equidem Saxoniae, lineae Misnensis, omnibus juribus Burggraviatus Magdeburgici gavisos esse, ante vero tempora Joannis Friderici Electoris, titulum suis non apposuisse. Excusabimus autem Gallos, utpote peregrinos, qui harum rerum non satis gnari fuerunt.

§. 26.

De dignitate Burggravii quaedam generatim.

Hac igitur fuere, quae de Burggraviis Altenburgensibus ad ductum eorum, quae sectione priore adfuerunt, proferri poterant. Plura nemo a nobis exigat, quia monumenta typis edita ulterius non pertingunt, ad Archivorum autem adyta locus non cuius conceditur. Superfunt quaedam generalia, quae ad ideam de Burggraviis nostris pleniorum sufficiendam faciant. Paulus Martinus Sagittarius, ad quem supra provocavi, hanc quaestionem proponit: *An Burggraviatus dignitas arci, an vero urbi Altenburgensi adhaerit?* Ille pro arce pugnationibus in medium productis, quae fundamentum non satis firmum in historia mediæ ævi habeant. Ut distincte rem explicemus, sedes Burggravii fuit arx sive castrum: Quum vero illud propter urbem & reliquam provinciam tuendam exstructum fuerit, hinc facile apparet, jurisdictionem Burggravii non solis castrum finibus esse concludendam. Nam ubi templum Cathedrale adfuit, Burggravius etiam illius Defensor, sive Advocatus ab Imperatore constitutus est, quare quid de Magdeburgensi & Misnensi valet. Vbi adfuit Collegium eorum, qui de jure solebant respondere, *Scabinatum* vocarunt medio ævo, Burggravius simul

(c) Dipl. apud Dacherium Spicil. tom. III. p. 765. edit. novæ.

fimul Præfidis vel Directoris iustitiæ munus obiit, id quod de Magdeburgensi & Dohnenfi valet. Reliqui Burggravi non castrum solum defenderunt fidei suæ concreditum, sed & urbis muniendæ curam habuerunt, quippe quæ olim etiam *burgi* nomine veniebat. (d) Neque urbem solum, sed & integrum aliquem districtum, quum villis quoque Judices inferiores, quos tunc Slavice *Supanos* vel *Jupanos*, Germanice vero *Scultetos* vocarunt, præficerent, eorumque curam haberent. Sed de his alio tempore, si Deus volet, pluribus.

§. 27.

Fabulosa quædam de his Burggraviis refutantur.

Antequam toti tractationi nostræ colophonem imponamus, necesse est, ut nugæ quorundam scriptorum proletariorum refellamus. Huc pertinent primum, qui arcem Altenburgensem a Claudio Druso extructam esse tradunt: hi sibilo sunt excipiendi. Neque illi me detinebunt, qui initia ejus a Carolo M. & fabulosis Witekindi posteris deducunt. Terræ enim Misnicæ neque Carolum, neque progeniem Witekindi unquam dominos suos habuerunt. Sequuntur alii, qui Comites limitis Sorabici in Thuringia Dominos terræ Plisnensis fecerunt. At illi fuerunt tantum limitis Sorabici Comites, non autem ipsius terræ Sorabicæ inter Albim & Salam sitæ. Primos Burggravios inde a temporibus Henrici Aucupis jam superius rejecimus. Mirum est, quod Sagittarius p. 5. mirari potuit, cur Albertus Degener titulum potius Domini terræ Plisnensis, quam Burggravi, utpote splendidiorem, sibi vindicaverit. Splendidior sane est titulus & possessio totius terræ, quam unius arcis. Splendidius est esse Dominum directum, & sub se habere Burggravios, quam esse Burggraviium.

§. 28.

Hæc sunt, quæ de Burggraviis Altenburgensibus convasare potui, quæ tamen, ut mihi quidem videtur, non omnino nullam lucem Historiæ patriæ mediorum temporum accendunt. Sequentur alia hujus generis

(d) Versio Gothica Matth. IX. 1. *Gab wam in seinai bauvg, h. e. und kam in seine Stadt.*

generis, si Deus vitam & vires concefferit. Nunc invitandi sunt studiorum Patroni ac Fautores, ut quosdam ex nostris, quos exercendi caussa produco, audire ne dedignentur. Proposui ipsis materiam dicendi miscellam, prout res tulit. Igitur

1. IO. CHRISTOPHORVS HAENEL, *Dippoldisvvaldensis*, ostendet, *educationem bonam insigne donum esse gratie divinae.*
2. IO. HENRICVS JUNGHANS, *Chranzablensis*, ex agro Annabergensi docet, *Multitudinem literatorum hodie contemptum literarum parere.*
3. CHRISTIANVS GOTTHELFF SCHEVNPFLVG, *Tzschopensis*, ad illud vetus Germanorum proverbium commentabitur: *Maius crimen est scholam negligere, quam virgines vitare.*
4. IACOBVS HAVSCHILD, *Lobmensis*, dicet, *Neminem esse bonum Theologum, nisi qui Scripturam S. in ipsis fontibus diligenter evolvat.*
5. IO. GODOFREDVS SINTZ, *Lipsiensis*, comprobabit, *Vitam perversam eorum, qui in dignitate constituti sunt, iuventuti valde nocere.*
6. IO. ANDREAS PVFENDORFF, *Lipsiensis*, satyrico sale perfricabit versus illos semibarbaros:
*Collegii Rector semper sit fortis ut Hector:
 Ut Salomo sapiens, utque Minerva sciens.
 Alii, Sicut Hiob patiens,*

Ad hoc autem exercitii genus, quod die V. Februarii, hora post meridiem secunda instituetur, Mecenates, Fautores ac Patronos bonarum literarum, qui patriae & posteritati bene cupiunt, honorificis precibus invitamus, ut praesentia sua Scholam cohonestent, utque iuventutem doceant, esse adhuc apud nos aliquem bonis studiis honorem. Dab. Dresdae d. 20. Jan.

clō Io cccxxxix.



Pon *Zd* 5497

ULB Halle 3
002 691 949



st



ML





9.²
10

Q. F. F. S.
EX HISTORIA MEDII ÆVI
DE

BVRGGRAVIIS ALTENBVRGENSIBVS

ITERVM
DISSERIT,
SIMVLQVE

FAVTORES AC PATRONOS

AVDIENDAS

VAR. clo lccc XXXIX.

IONES VI.

RIFICE INVITAT

SCHOETTGENIVS,

RECTOR.

RES D Æ,
CINA HARPETERIANA.

10.

